

rii Primicerii sanctæ Sedis Apostolicæ, imperante Domino piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato magno Imperatore, anno quinto decimo, Indictione duodecima. Successor Nicolai I. Hadrianus II. Bullam Corbejenfibus in Saxonia Monachis anno 872. qui ejus emortualis fuit, concessit, cui subnotatum est : *Scriptum per manum Stephani Notarii Cameræ sacræ Romanae Ecclesiæ, imperante Domino nostro piissimo perpetualiter Augusto Ludovvico a Deo coronato magno Imperatore, anno XVIII. et post Consulatum ejus anno XXIV. mense Octobris, Indictione VI. Bene valete. Data Idus Octobrias per manus Sergii Primicerii Defensorum sanctæ Sedis Apostolicæ.* Indictione VI. hic a Septembri incipit. Bulla Johannis VIII. Datum integrum habens et vivo Ludovico II. Imp. emissâ nondum in notitiam meam venit; sed autographum ejus pro Monasterio Tornutensi anno 876. emissum, quod paulo ante quoque citavimus, desinit his verbis : *Scriptum per manum Anastasii Notarii regionarii et Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Octobrio, Indictione decima. Bene valete. Scriptum Idus Octobrias per manum Christophori Primicerii sanctæ summæ Sedis Apostolicæ, imperante Domino piissimo [vel perpetuo] Augusto Carolo, a Deo coronato, magno Imperatore anno primo, et post coronationem ejus anno primo, Indictione decima.* Quem ergo morem observarunt Benedictus III. Nicolaus I. Hadrianus II. illum etiam constanter observasse putandus est Johannes VIII. Et cum in Bulla ejus autographa anni Caroli Imperatoris ab eo numerentur, certum est, eundem etiam antecessoris ejus Ludovici II. Imp. annos in iisdem numerasse. Bulla ergo, quæ vidente et imperante Ludovico II. edita fertur, et formulam regnante Imperatore Domino Jesu Christo habet, impostoris manu est conscripta. Additur post formulam illam absconam : *anno Pontificatus Domini Johannis summi Pontificis et universalis Papæ et Episcopi primo.* Ubi illud et Episcopi a stupido falsario intrusum esse nemo non videt. Annos vero suos Pontifices in Bullis, quæ genuinæ sunt, numerasse, si Imperatores in vivis essent, hoc ævo insolitum plane fuit. Opponet fortasse Cl. Schannatus mihi Johannis VIII. Privilegium Monasterio Floriacensi in Synodo Tricassina anno 878. elargitum, et a Labbeo Concil. Tom. IX. p. 318. sq. evulgatum, cuius finis est : *Scriptum per manus Georgii Scriniarii sanctæ Sedis Apostolicæ, in mense Augusto, Indictione XI. Bene valete. Data Nonis Septembris per manum Walberti humillimi Episcopi S. Portuensis Ecclesiæ, anno Deo propitio Pontificatus Domini nostri Johannis summi Pontificis et universalis Papæ in sacratissima Sede Beati Petri Apostoli sexto, Indictione XI.* Sed respondeo statim, Carolo Calvo Imp. anno 877. defuncto, Carolomanum quidem regnum Italæ occupasse, et Ludovicum Balbum paulo post in Regem Franciæ Gallicæ hoc ipso anno 878. a Johanne Pontifice coronatum esse : sed Imperium vacabat. Unde Johannes Pontifex tanquam Vicarius Imperatoris *Dominus noster a Romanis vocatus est, et annos sui Pontificatus tunc numeravit.* Nam annos alios, quos Bullis nunc adderet, non habebat. His consideratis, mirum non est Liutbertum Archiepiscopum Bullæ Johannis VIII. Papæ nullam rationem habuisse; quippe quæ ejus ætate nondum fabricata erat.

Vacante
Imperio,
Pontifices
annos su-
os Bullis
addebant.

XVII. Laudat tamen Cl. Schannatus Liutberti factum, qui decimis Thuringicis cesserit. An id fecerit, nescitur; quia Ludovici Germanici Diploma, ex quo hoc docet, omnia suppositionis indicia habet. Irricatur autem Friderico Archiepiscopo Moguntino, qui anno 942. Fuldam re-